

Urkundenbuch des Klosters Fulda; Teil: Bd. 1., (Die Zeit der Äbte Sturmi und Baugulf) (Ed. Stengel) Nr. 167

In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno XVIII. regnante domino Karlo Francorum et Lombardorum rege ac patricio Romanorum die XXV. mensis sepbris die dominica, cum idem gloriosissimus rex Carolus curiam haberet apud nos, ego Lullus dei gratia Moguntinae sedis ariepiscopus tradidi domino meo sancto Bonifacio archiepiscopo et martiri coemptionem prediorum, quam coemi in villa Fargala, quae sita est in pago Thuringiae super fluvium Unstruth nuncupatum, conditione, ut pars mea sit cum domino et patre meo sanctissimo Bonifacio martyre et archipontifice in regno dei et ut fratres Fuldenses mei perpetuo sint memores. Dedique consilium quibusdam fidelibus nostris, quatuor videlicet nobilissimis viris Waltoni, Reginaldo, Warmundo, Burchardo, qui predia in confinio eiusdem villae Fargalaha in proprietate habebant, ut partes suas sancto Bonifacio traderent eumque sibi heredem facerent in terris, ut sui coheredes fierent in caelis. Qui et ita fecerunt. Et hec tradicio coram rege confirmata est.